

† R. P. Antonius Pat. Höfer (1).

(*Prov. Germ. super.*)

Vere peregrinus apostolicus, qui in longa vita sua nusquam fere consistere posse visus est, donec ultimos vitae annos Deggendorffii tranquillus transigere et senex plus octoginta annorum mortem exspectare potuit.

Fama eius olim, iam antequam Congregationi nostrae nomen dedit, per Germaniam in turbis, quae dicuntur Rottenburgenses, celeberrima erat, sed haec praecipue res ei vocationis religiosae viam monstravit, quam toto animi affectu amplexus est.



Antonius Höfer die 26 maii 1836 piis catholicisque parentibus rusticis natus erat in Mögglingen, vico regni Wuertembergiae. Scholis primariis in vico patrio absolutis autumno anni 1846 ad gymnasium Ellwangense et quattuor annis post ad studia humaniora altiora Ehingensia missus est, quibus peractis a. 1854 Tubingam

profectus est, ubi in universitate in studia philosophica et theologica incumberet. Magistris ibi usus est celeberrimis, inter quos erant Ruhn, Hefele, Aberle, Welte, Rober aliique. Autumno a. 1858, cum examina subiisset, in seminarium maius Rottenburgense admissus est, ut proxime ad recipiendos ordines sacros praepararetur. Ibi tum direttore usus est Iosepho Mast, quem decem annis post in regendo seminario adiuturus erat. Die 20 augusti a. 1859 cum 29 sociis, inter quos duo, Reiser et Linsenmann, futuri erant episcopi, ordinatus est sacerdos.

In sacerdotio statim peregrini apostolici viam ingressus est. Ab anno enim 1859 ad 1867 in quinque dioecesis Rottenburgensis parochiis vicarii, in tribus vero administratoris munere functus est. Tandem a. 1867 ab episcopo suo in seminarium Rottenburgense vocatus est, ut directoris Iosephi Mast vicarium ageret. Sed etiam ibi unum tantum annum mansit summa venerandi directoris familiaritate et concordia utens et alumnos sacerdotii candidatos in sacra praesertim liturgia erudiens. Ast dum domi pulcherrima pace utuntur, foris tempestas vehemens exorta est. Iam diu enim

(1) Imaginem P. Höfer recentiore invenire non potuimus. Nostra iam ante eius ingressum in Congregationem a. 1867 facta est.

sat multi sacerdotes in dioecesi Rottenburgensi educationem et instructionem in instituto theologico Tubingensi (*Wilhelmstift*) tamquam nimis liberam et spiritui mundano indulgentem non probaverunt, inter quos erant seminarii Rottenburgensis director Doctor Mast eiusque novus vicarius Höfer noster. Pax autem nondum turbata erat. Sed cum Höfer in familiari, ut putabat, amicorum conventu Biberaci quondam acriori suae indoli indulsisset eiusque dictum forte incautum ad Tubingensium aures perlatum et exaggeratum esset, altercationes ortae sunt, quae in publicum protractae non sine concitatis animorum ardoribus etiam in ephemeridibus agitabantur. Ita annus hic in vita Höfer nostri turbulentus fuit, quamquam domi maxima familiaritate et pace usus est. Sed altercationum barbarumque finis is fuit, ut autumnus a. 1868 tres seminarii praefecti loco moverentur. Directori Mast et Höfer nostro parochiae assignatae sunt.

At Höfer hac occasione Dei vocem alio se vocantem audivit eique obsecutus est. Cum enim secum reputaret, num hac barbarum calamitate Deus sibi indicare vellet, ut statum sacerdotis saecularis cum religione commutaret, annuo comiteo obtento in domum nostram Garsensem provinciae Germaniae superioris se contulit rei perpendendae causa. Ibi cum de negotio mature deliberavisset, Patresque omnes, quibus rem proposuerat, vocationem vere a Deo profectam esse confirmavissent, laetus mense octobri a. 1868 novitiatum ingressus est, et multis in novitiatu tum interioribus in animo suo exortis difficultatibus, tum propinquorum interpellationibus superatis die 8 decembris a. 1869 vota in Congregatione professus est, quae deinde per annos plus quinquaginta fideliter et religiose servavit.

Sed quamquam ab initio perfecta in Congregatione quiete et tranquillitate usus est, foris tamen ei pace frui diu non licuit. Altero novitiatu peracto autumnus anni 1871 in domum Vilsbiburgensem in dioecesi Ratisbonensi Bavariae missus peregrinantibus, qui frequentes eo conveniebant, operam praestare et in sacras missiones exire coepit. At statim prima missione in Maria Talheim peracta, cum non esset e Bavaria oriundus, tamquam alienigena a potestate civili in missiones exire vetitus est. Et mox orta tempestate legum ecclesiae catholicae adversarum (*Kulturkampf*) et collegio Vilsbiburgensi die 21 iunii a. 1873 suppresso exulare cogebatur cum ceteris provinciarum in Germania sodalibus.

P. Höfer ab anno 1873 ad 1880 in provincia Hollandica moratus est, ubi cum linguam vernaculam, licet non perfecte, mox addidisset, non multam quidem, at aliquam tamen operam in vinea Domini, praecipue in confessionibus audiendis, primum quidem Antverpiae (in Belgio), deinde Ruremundae, Amstelodami bis et Wittemii praestare potuit. Mense novembri a. 1880 a superioribus in Austriam vocatus est, ut in Maria Kirchental AD. Salisburgensis, ubi provincia Germaniae superioris hospitium constituerat,

peregrinantium turmis serviret. Ast mense augusto a. 1883 in collegium Leobicense provinciae Austriacae migravit, unde unaquaque feria V Maurnas profectus est, ut clericos studentes cantum Gregorianum doceret, quem ipse in schola monastica Beuronensi optime didicerat. Leobio post duos annos in domum provinciae suae Dürnbergensem in archidioecesi Salisburgensi constitutam translatus est, ubi tandem novem annos consistere et in missionibus aliisque exercitiis multis per Salisburgum, Tirolidem, Austriam superiorem laborare potuit, donec anno 1894 exsilio finito Congregatis in patriam Bavariam redire licuit.

In Bavariam reversus iam die 8 decembris a. 1894 e collegio Garsensi in missione Ellwangensi labores apostolicos inchoavit, quos deinde multis annis per Bavariam Wuerttembergiam et Magnum Ducatum Badensem in missionibus, renovationibus, exercitiis spiritualibus permultis continuavit. Sedem suam anno 1895 in Deggendorfensi collegio figere iussus est, ubi, si bis breve temporis spatium excipias, ad mortem usque permansit, qua senex 86 annorum die 30 iunii a. 1922 abreptus est, cum die 30 iunii a. 1919 diamantinum sacerdotii, die 8 decembris eiusdem anni aureum professionis iubilaeum egisset.

P. Höfer ingenio erat acri ac forti, quod facile, praesertim cum rem iustam se defendere putavit, vehementer effervescebat. Cumque in quaestione de catholica educatione cleri in dioecesi exorta pro parte accurate catholica staret, eam acerrimo studio sibi defendendam esse existimaverat. In sermone itaque Biberacensi optimo quidem consilio fecit, sed indole sua ferventi fortasse ultra prudentiae limites latus esse videtur, qui sermo, cum turbarum et altercationum acerrimarum ansam praeberet, ei ipsi amaritudinum et iniuriarum fons factus est, quo tandem loco suo in seminario est motus. Negari vero non potest, quod non pauci sacerdotes etiam publice professi sunt, Patrem Höfer nisu suo clero Rottenburgensi multum profuisse. Ipse Summus Pontifex Pius IX res, quae nostro Höfer in instituto Tubingensi non probabantur, litteris die 4 febr. 1869 datis improbavit (1). Deo ita providente perturbationes istae medium erant, quo Höfer in sinum Congregationis duceretur. Et statim cum hac sua ferventi acrique indole luctari coepit, cuius rei testes commentarii eius diurni sunt, quos fideliter scribebat. Tantumque in illa lucta profecit, ut nisi perraro effervescentis animi vestigia in eo iam non conspicerentur.

Praeter labores apostolicos in missionibus exercitiisque exantlatos P. Höfer artis musicae peritia multum profuit, cum in domibus Hollandicis et in ecclesiis collegiorum Leobiensis et Dürnbergensis cantus magistrum ageret. Valetudine semper firma et robusta fuerat. Senex plus octoginta

(1) Cfr. Heinr. Brück, *Geschichte der katholischen Kirche in Deutschland im 19. Jahrhundert*, vol. III, pag. 385 ss.

annorum omnes dentes suos sanos in sepulchrum asportavit. Acie oculorum alacri sub superciliis hirsutis prorumpente, statura procera et firma homo fortis ac strenuus prodebat. Vitae sacerdotalis et religiosae vere exemplar, vocationis amantissimus, apud clerum praecipue maximi habebatur.

Iubilaeum adamantinum sacerdotii cum a. 1919 viribus adhuc validis egisset, animi vigore destitui coepit, atque morbo diutissimo et molestissimo confectus sanctisque sacramentis munitus tandem die 30 iunii a. 1922 animam Deo reddidit. R. i. p.!